

Christum potius quam ad alios restringunt. Quid ergo superest? Nil nisi ut paucis adhuc doceamus, textum nostrum non cum consequentibus pugnare, si ita, ut a nobis factum est, de Christo intelligatur.

§. XVI.

Scilicet ea, quae inde a v. 18. ad fin. capitis pergunt, ista denuo respicere videntur, quae v. 14. dicta sunt. Postquam enim ibi Moses suos hortatus fuerat, ne audiant & ne consulant praestigiatores & divinatores, & postquam gravem eius interdicti rationem v. 15. subiunxerat, breui v. 16-19. facta excursione adductum argumentum corroborante, reuertitur v. 20. ad institutum suum dicens: Si forte, (quamquam tu serues interdictum v. 14) nihilominus dentur Prophetae in te, qui ex effraenata superbia meo vel alio nomine loquantur aliquid, quod eos non iussi; illi prophetae morientur. Haec adeo, si quid iudicare possum, satis inter se cohaerent, nec datur in eis absolum quid. Non igitur habent illi de quibus haecenus solliciti fuimus, cur etiam in his haereant, rursus obuertentes, patere omnino, quod v. 15. & 18. de prophetis quibuscunque sermo sit, cum inde a v. 20. generaliter de omnibus prophetis falsis agatur. Istud enim poscere vim oppositionis. His autem non inest consequentia. Et res optime procedit, si modo omnia decenter explicare, nec tibi ipsi deesse velis.

§. XVII.

Haec sunt, quae haec vice tradere constitui, nam plura instituti ratio non patitur. Omisi quasdam dissentientium obiectiones t. quia leues sunt, t. quia ex haecenus allatis nullo negotio solui possunt. Si autem in his quid posuerim, quod emendationem patiatur, id imbecillitati meae dabit Lector beneuolus.

